

tuti facultatibus prohibebantur quominus studiis vacarent, et solummodo divites poterant gradus academicos assequi. Insuper magistri videbantur magis pecuniæ aviditate trahi, quam desiderio utiliore scientiam tradendi. Abusus hujusmodi, fertur, præsertim in Parisiensi Universitate irrepsisse. Hinc tradunt Alexandri III. decretalem, quæ in cap. 3. h. t. legitur, emanasse contra Cancellariam Parisiensem.

22. Ad abusus vero omnes ubicumque reperirentur tollendos, legislatio ecclesiastica in capp. 1. 2. et 3. h. t. prohibuit ne aliquid exigeretur pro licentia docendi, et receptio pecuniæ condemnata est tamquam infecta labe simoniæ juris ecclesiastici invocatumque est principium 'Gratis accepistis, gratis date'.

23. Verum ex consuetudine inductum est ut modica lucra possent percipi in experimentis, quæ juvenes subeunt ad licentiam docendi assequendam, seu ad obtinendos gradus academicos. Et jam tempore Concilii Viennensis sub Clemente V. inceperant exigi nonnullæ expensæ a juvenibus in doctoralis laureæ assecutione, unde edita est Constitutio, quæ inter Clementinas cap. 2. h. t. legitur, in qua omnes expensæ discipulorum, sive pro vestibus, sive pro cibis, sive pro aliis titulis coarctantur ad tria millia turonensium argenteorum, idest circiter ad centum triginta scutata antiquæ monetæ Romanæ (Libell. 698. 75.).

24. Deinde autem pro qualibet academia seu Universitate studiorum sua taxa expensarum, juxta indigentias locorum constituta fuisse cernitur. Pro Universitate autem Romana et Bononiensi lata est Constitutio Julii III. 'Cum sicut' diei 6. Febr. 1552 in qua cautum ut a pauperibus adolescentibus cæteroquin idoneis nihil exigeretur ad concedendos eisdem gradus academicos. Quare virtute hujus Constitutionis iterum pro pauperibus confirmata fuit abolitio facta ab Alexandro III. immodicarum expensarum, ita ut in gradibus et honoribus academicis concedendis plus effulgeat pietas et scientia, quam cupiditas lucri et pecuniæ.

25. Pariter virtute hujus Constitutionis factum est, ut adolescentes excellentiores ingenio et studio non debeant ob defectum pecuniæ removeri ab honoribus et juribus studiorum, sed aliquo modo eisdem consulendum sit, ut possint studiis vacare, et licentiam docendi obtinere.

TITULUS VI.

De Judæis et Saracenis et eorum servis.

1. Expleto tractatu de crimine simoniæ, quo præcipue Sanctus Spiritus offenditur cujus dona parvipenduntur, agitur in Decretalibus de illis, qui fidei et religioni Christianæ contradicentes Deum ac præcipue Jesum Christum filium ejus offendunt. Hi sunt infideles et hæretici. In præsentī titulo agitur de infidelibus.

Legislatio ecclesiastica in hac materia reducitur ad determinandam tolerantiam ab Ecclesia adhibitam erga Judæos et Saracenos, a quibus infidelibus ferme solis tempore Decretalium poterant prævideri mala in Ecclesia. Legislatio hæc prudentissima pro temporum ratione, informatur principio 'neminem vi cogendum esse ad fidem suscipiendam; errantes vero esse tolerandos, quia supponuntur in bona fide. Cap. 9. h. t. Ceterum conversos ad fidem privilegiis esse honestandos.' Capp. 15. et ult. h. t.

De Judæis.

2. Impietas et blasphemiæ Judæorum in Christum et christianam religionem, necnon eorundem invidia, usuræ, et injustitia erga christianos, odium maximum contra judaicam perfidiam excitarunt, ita ut a pluribus regnis christianis Hispaniarum, Belgii, Galliæ etc., expulsi fuerint. Jactati in medio mari judæi, præsertim ad litora temporalis ditionis Romanæ Sedis appulerunt, et misericordiam invocarunt. Pietas Christiana suasit Ecclesiæ ut exciperet et benigne tractaret miseros istos homines. Verum cum timeri possent damna in plebem christianam, immo et in ipsos hospites Judæos ex commixta habitatione, hinc quasdam leges Ecclesia statuit, ut damna præcaveret et legitima quodammodo redderetur Judæorum hospitalitas inter fideles in christianis regionibus.

3. Et 1º. prohibitum est ne in eadem domo simul christiani cum Judæis habitarent. Can. 13. 28. q. 1. Hinc factum est ut in quibusdam urbibus Judæis domicilia determinata adsignarentur. Immo juxta dispositionem cap. 15. h. t. in omni christianorum provincia Judæi utriusque sexus, qualitate habitus, omni tempore distinguantur oportet.

4. 2º. Quoniam vafri homines divexabant Judæos, et eorum sepulchra violabant, intuitu pecunias exigendi, hinc præsertim in

cap. 9. h. t. permissum est Judæis, ut suam religionem excolerent, Synagogas haberent, suasque consuetudines observarent, simulque gravibus pœnis prohibitum est ne aliquis auderet violentas manus Judæis inferre, neve turbarentur Judæi in celebratione festivitatum suarum, nec violaretur eorum cœmeterium, aut exigerentur nova et coacta servitia ab iisdem. Siquidem visum est melius permittere Judæis exercitium antiquæ religionis, quam eos nullam habere religionem, Deoque prorsus renunciare.

5. At hæ concessiones cedere non debebant in præjudicium christianæ reipublicæ, nec superare limites tolerantia et patientiæ, qua in christianis regnis excipiebantur Judæi. Hinc 3^o. nonnulla servitia debuerunt societati christianæ exhibere, et nonnulla tributa solvere. 4^o. Licet exercitium cultus permissum fuerit, tamen advigilavit Ecclesia ne Judæi contenderent cum christianis in splendore et numero templorum. Quare concessum utique est Judæis, ut retinerent veteres Synagogas, et dirutas reficerent, negatum autem est et novas ædificare, et veteres vel ampliare, vel magis splendidas et pretiosas reddere. *Capp. 2. et 7. h. t.* Periculum enim inde exoriri poterat in christianam religionem, quam injuriis et blasphemis vituperabant, et fidem in plebe contaminare non dubitabant. 5^o. Quoniam vehementiores contumeliæ tempore passionis Domini timeri poterant, et majus etiam erat periculum publicæ perturbationis in populo, hinc Alexander III. in cap. 3. h. t. prohibet quominus Judæi feria sexta in Parasceve ostia domorum vel fenestras apertas haberent. Innocentius III. vero in Concilio generali prohibuit eisdem ne in eadem die domo egredierentur, et ne in contumeliam creatoris prosilirent. Cap. 15. h. t. 6^o. Quamvis permissa fuerint inter christianos et judæos negotia et commercia, tamen ne conversatio mutua periculis perversionis induceret, prohibitum est christianis quominus famulatum præstarent Judæis in domibus eorum, ita ut nec nutrices, nec obstetrices filiorum Judæorum esse possent christianæ mulieres. *Capp. 8. et 13. h. t.* 7^o. Prohibentur Christiani quominus officia publica Judæis committant, ex quibus officiis Judæi acquirerent potestatem, seu jurisdictionem in Christianos. *Cap. 13. h. t.* ne sub prætextu potestatis Judæi Christianos molestiis afficiant.

6. 8^o. Ceterum Judæi conversi ad fidem non possunt privari suis bonis; quod si priventur jus habent obtinendi restitutionem

in integrum. *Cap. 5. § Si quis h. t.* Nec possunt ab eorum parentibus exhæredes in testamento scribi; sed immo in sensu Canonum Judæi conversi ad fidem patriæ potestatis jugo soluti, libertatem plenam adipiscuntur, idest fiunt sui juris. Ita Glossa recepta in *can. 7. caus. 1. q. 4. et in can. 11. caus. 2. q. 1.*

De Saracenis.

7. Saraceni, qui se a Sara uxore Abrahamæ progenitos jactitant, sunt omnes illi, qui Muhamedo addicti, dogmata in Alchorano expressa profitentur.

A prima hujus sectæ origine, idest a sæculo Ecclesiæ VII. ad nostra usque ferme tempora, bella exarsisse inter saracenos et christianos ex historia deprehendimus. Hostes christianæ religionis hæc bella inita ab Ecclesia fuisse dicunt ut vi et armis saracenos ad christianam fidem pertraheret. At falsum est Ecclesiam, quæ procul dubio promovit bella adversus saracenos, et principes christianos excitavit vehementer, hæc bella promovisse ut violenter saracenos castris christianis insereret. Ecclesia enim licet studuerit propagationi religionis, et apud principes institerit ut libere permitteretur prædicatio veritatis Evangelii; tamen religionem non imposuit, nec contra Ethnicos bella excitavit, ut Christo invitos lucrifaceret, sed persuasionibus utens eos solum susceperit, et fidelibus aggregavit, qui ex animo fidem poscerent. Contra autem saracenos bella inita sunt a Christianis, eo quod indoles specialis saracenorum erat ut ad arma ipsi provocarent. Si quidem Muhammedus docebat christianos vi et armis esse adducendos ad unicam religionem unius Dei, cujus se prophetam dicebat. Hinc etiam loca sacra et munitiones christianorum occupavit, cœpitque contra christianos acriter bellare. Huic adversario Ecclesia restitit mediis proportionatis excitans christianos Principes et plebem christianam temporalibus et spiritualibus auxiliis ad arma sumenda contra saracenos hostes infensissimos.

8. Ut autem facilius finem assequeretur Ecclesia, leges statuit temporum conditioni accommodatas. Scilicet 1^o. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ et Pontifici reservatæ aliisque pœnis prohibitum est, ne Christi-fideles subministrarent vel venderent saracenis arma, seu quæcumque instrumenta, vel materiei quodcumque genus, quæ bellis agendis inservire posset. *Cap. 6. et 17. h. t. Extravag. eod. inter comm. et Bulla Cœnæ.* 2^o. Vetitum est

christianis tempore belli merces deferre in terras saracenorum. *Capp. 11. et 12. h. t.* Unde ex sensu contrario tempore pacis commercium inter christianos et saracenos prohibitum non erat. Ex iisdem capitibus infertur tempore belli christianos nec potuisse ingenio, consilio, vel aliis subsidiis præsto esse saracenis. Merito autem gravissimæ poenæ contra transgressores statutæ sunt et observatæ in Ecclesia, quia christiani operam ferentes saracenis etiam solummodo sub spe lucri, proditores erant religionis. Immutatis vero temporibus saraceni considerantur tamquam reliqui pagani, quos Ecclesia ceu errantes patienter tolerat.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

1. Hæresis a Sancto Thoma definitur 'Error hominis baptizati, in intellectu voluntarius contra aliquem articulum fidei cum pertinacia conjunctus'. Dicitur hominis baptizati, quia consideramus hæresim ceu crimen ab Ecclesia puniendum. 'Quid autem mihi, ajebat Paulus, de iis qui foris sunt judicare?' Quare catechumeni et qui nondum baptismum susceperunt esse nequeunt proprie hæretici, qui ab Ecclesia puniantur.

Dicitur 'intellectu' quia actio externa, vel dictum per se hæresim non constituunt nisi in quantum revelant falsum iudicium mentis.

Error autem debet esse 'voluntarius' seu deliberatus. Et quidem hæreticus est non solum qui contradicit alicui articulo fidei eum reputans falsum, sed etiam ille hæreticus est, qui dubitat positive de veritate articuli ab Ecclesia propositi. Hinc in cap. 1. h. t. dicitur absolute 'Dubius in fide infidelis est'. Consonat cap. 1. 'De Summa Trinit.' et Clem. 1. eod. § 'Porro'. Et merito, nam infallibile magisterium Ecclesiæ est principium certitudinis in Doctrina, quæ dicitur certitudo fidei. Jamvero certitudini non solum adversatur negatio, sed etiam dubitatio.

2. Tandem elementum hæresis et quidem principale est 'pertinacia' idest contumacia. Cap. 2. 'De Summa Trinit.' Scilicet requiritur deliberata voluntas, qua quis licet sciat se aliter sentire ac sentit Ecclesia, nihilominus persistere vult in sua sententia, et suum iudicium præfert Ecclesiæ. Quare ad hæresim constituendam non requiritur ut quis animi contentione et acriter errorem reti-

neat et propugnet; sed sufficit ut quis aliter sentiat quam sentire Ecclesiam sciat in articulo sibi sufficienter proposito. Hinc qui docet errorem paratus tamen sese subicere iudicio Ecclesiæ, hæreticus non est. *Can. 29. c. 14. q. 3.*

Quotuplex sit hæresis.

3. 1^o. Alia est *materialis*, alia *formalis*. Materialiter hæreticus est, qui sentit alia ratione, quam sentiat Ecclesia; sed absque contumacia. Hinc error in hæresi materiali non procedit ex malo animo, sed vel ex simplicitate, vel ex deceptione et fraude alterius, aut ex defectu debitæ inquisitionis in rei veritate agnoscenda. Hujus generis sunt plerique, qui vivunt in sectis ab Ecclesia Romana separatis. Formalis autem hæreticus est, qui in pertinacia erroris versatur, sciens se veræ Christi Ecclesiæ adversari. Formalis autem dicitur, quia crimini hæreseos veram formam dat contumacia erroris.

4. Hæresis formalis alia est *interna*, alia est *externa*. Externa est, quæ vel verbis vel aliquo alio signo externo manifestatur sufficienter. Interna seu mentalis hæresis est, quæ animo continetur, nec verbis vel facto aliquo proditur. Interna hæresis non incidit sub poenis ecclesiasticis, quia Ecclesia in foro externo, de internis non iudicat. *Can. 14. 'De Pœnit.' Distinct. 1. et capp. 33. et 34. 'De simonia'*; et proinde interna hæresis nec proprie dictum crimen constituit.

5. Externa hæresis, quæ vere crimen est et poenis ecclesiasticis plectitur, subdividitur in *occultam*, et *publicam* seu *manifestam*. Hæresis occulta illa dicitur, quæ licet aliquo verbo, vel alio signo externo se prodatur, tamen communitati non innotescit, et per consequens non potest in iudicium pertrahi. Ex. gr. si quis uno solum teste, vel etiam nullo teste, errorem contra fidem cum pertinacia panderet, poenas incurreret (*Reiffenst. h. t. n. 16. Pirrhing. h. t. n. 17.*), dummodo hæresis manifestetur verbis, vel signis, quæ suapte natura vel juxta communem sentiendi modum sufficienter ad animi consilium pandendum; nam hæresis in hac hypothesi constituit crimen externum; quod autem ab aliis non audiatur vel non videatur, id contingit, ut dici solet, per accidens. — Manifesta est hæresis, quæ potest ad forum externum traduci et juridice probari. — Ecclesia potest punire hæresim etiam solum occultam, quia hæreticus occultus ponit factum externum, quod cadit sub